



Nr. 14

49

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
DODECADIS POSTERIORIS
UNDECIMA,
DE
**SPECIE QVAR-
TA JUSTIFICATIONIS.**

QVALEM
VIR CLARISSIMUS,
PETRUS POIRETUS,
ALIUS HUJUS DOCTRINAE CORRUPTELIS, PRAECIPUE IIS DE SENSO
FORENSI, PRAEMISSIS,
ἀπτηράφως CONFINXIT:

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA,
DIE JUN. HVJVS MDCCXXII. ANNI,
PRAESIDE

D. JOACHIMO LANGIO,
S. S. THEOL. PROFESS. ORDINAR.
ET ACADEMIAE h. t. PRO-RECTORE,
CONSVETA AC PUBLICAE DISQVISITIONI
SUBMITTIT

RESPONDENS

JOANNES PAULUS Schumann/
FINSTEDIENSIS MANSFELDICUS, S. THEOL. STUD.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFI, Acad: Typ.



Locus I. Oecon. L. V. c. VIII. §. XXV.

p. 525.



Amdiu^m hu^c usque disputatum fuit, utrum Justificatio per gratiam quandam infusa^m fiat, an vero actus Dei sit forensis & declarativus; ut, quid statuendum sit, tantum non ignorere. Varie hic responderi poterit, prout ad varia, qua Justificatio comprehendit, aut conjungit, respiciemus. Dico tamen, Justificacionem sensu suo proprio & distinctissimo non in gratia quadam infusa confidere, aut eam non fieri per gratiae infusionem: verum per declarationem eam, qua Deus anima annunciat & declarat, gratiam jam antea infusam progenerasse Justitiam. Atque ita iis, qui tantopere & ad nauicam usque contendunt, Justificationem esse actum quendam forensem, libenter accedo & consentio. Quoniam tamen vetus Adamus ex hac concessione occasionem captat, ut in justificationem & ipse se insinuet, ut totus adhuc quantus quantus est vegetus & vivus, cautione merito opus est, ut ex ipsa omnino ejiciatur.

Disquisitio hujus loci.

I. Si Autor non ignorat, de sensu justificationis diu multumque huc usque disputatum fuisse, utique nec ignoravit sententiam Evangelicorum, qui contra Pontificios aliosque nonnullos actum forensem adstruxerunt; nec potuit non perfecta habere hujus sententiae praesidia & argumenta. Jam si, hæc probe scivisse ipsum, supponas,

A 2 & si

& simul consideres, quod sententia evangelicae de actu forensi sum am oppositurus ne semel quidem eam sincere referat, sed pro ea semper abusum istius Epicureum alleget; in tanto ipsum sophismate comprehendis, quo an indignius esse possit, vix reperias. Semel quidem, nimirum §. XXVII, uti deinceps videbimus, sincerum se exhibet in allegato catechismo Heidelbergensi: quam parum vero sineritatis in loci istius interpretatione praestet, mox considerabimus.

2. Doctores ecclesie post diuturnas disputationes quid de *justificatione statuendum sit, tantum non ignorare*, auctor procul dubio reclamante scriptis conscientia, utpote a vero, cuius alias tantum studium prae se fert, etiam hac in parte alienissimum. Quod si enim tot doctorum scripta vel mediocri tantum attentione legit, probe perspicere potuit, eos non sine plerophoria, nec sine argumentorum praesidiis, actum mere forensem adstruxisse, dissentientium strophis atque objectiunculis discussis ac disjectis.

3. Quando Poiretus negat, *justificationem sensu suo proprio & distinctissimo in gratia quadam infusa consistere, aut eam per gratia infusionem fieri*; videri quidem posset actum forensem ipse etiam statuere: sed nihil minus admittit, uti in antecedentibus Dissertationibus vidimus, & posthac videbimus. Etsi enim hic negat, *justificationem esse infusionem*; tamen loco *satisfactionis infusionem* istam pro fundamento & causa *justificationis* habet. Atque ita res fere eodem recidit, certe error unus altero minor non est. Et hoc ipsum est, quod verbis adducta proxime sequentibus clarissime exprimit: *Dico, inquiens, justificationem fieri per declarationem eam, qua Deus anima annuntiat & declarat, gratiam jani ante infusionem progenerasse justitiam.* Que justificandi ratio non solum est *αγραφη & αντιγραφη*, sed *λογος* etiam. Nam quid homini, qui novit & ipso sensu praxique spirituali gratiam Dei infusionem, & inherentem justitiae, seu sanctitatis indolem, adeo experitur in se, ut de ea dubitare haud possit; quid, inquam, huic homini divina declaratione, tanquam *justificatione aliqua*, opus est, de gratia ista ad *justitiam vitae infusa?* Nonne ipsa gratiae & justitiae infusione per se jam satis declarationis habet? Ludit ego Auctor noster in refaria.

4. Quae cum ita sint, indignissimum sane & cum naturali etiam sincere-

DISSERTATIO UNDECIMA.

5

sinceritate maxime pugnans est sophisima, quando idem ita pergit : *Atque ita iis, qui tantopere S ad nauicam usque contendunt justificationem esse actum quendam forensem, libenter acceds S consentio.* Miror, hujus viri estimatores auctoritate ejus adeo abripi posse in transversum, ut sophisticas halsee strophas vel ipsis quasi manibus palpabiles, non videant, sed cum provocatione ad e- jusmodi loca clamitent, injuriam fieri viro optimo, de ea injuria, quam is doctrina apostolica, ipsisque apostolis, & Christo ejusque officio, intulit, parum, immo nihil, solliciti, sed hanc haud obscure inter merita ejus referentes.

5. Quæ de veteris Adami praxi subjungit Poiretus, eo rursus tendunt, ut, postquam *actum aliquem forensem speciemenus* concescit, verum actus istius sensum sub abusus istius praetextu explodere possit, ipso genuino sensu usuque pro abusu habito.

6. Et de turpi isto abusus auctor prolixè sermocinatur §. XXVI. ubi inter alia scribit, sententiam de actu forensi esse ejusmodi *persuasionem, qua credatur, Deum nos aque justos reputare atque est Jesus Christus, licet puri puti adhuc nebulones simus.* Quæ quam gravis sit criminatio, in sanctissimam doctrinam & sinceros ejus assertores conjecta, quis non videt ? Et ne exultinemus, talia eum non nisi in epicurei abusus homines effundere, videamus pa- ragraphum proxime sequentem, ubi dicterii sui fundamentum & cau- sam e confessione Reformatæ ecclesie, cui ipse antea adductus fuerat, publica, h. c. e *catechismo Heidelbergensi*, speciatim e questione ejus LX. desumit.

Locus II. §. XXVII.

Mortalium plerosque ita animo affectos esse, manifestum argumentum est illud, quod tanto labore id agant, ut hoc ipsis persuadeant. Alii post confessionem, qua homini mortali iot S tot impuritates suas fatentur, se ab his justificatos esse sibi per- suadent, modo ejusdem hominis declarario & judicaria absoluto, nec non externa quadam obseruatio accedar. Alii vero au- ditoribus suis & discipulis in ipsis Catechismis ea inculcant, qua eodem sponte sua redeunt, veluti quasio ea & responso, quam proponunt, testatur.

A 3

Cate-

Catechism. Heid. Quæst. 60. Quomodo iustificatus (aut iustus) es coram Deo?

Resp. „Sola fide in Jesum Christum; adeo ut licet me mea conscientia accuset, quod aduersus omnia Dei mandata graviter peccaverim, nec ullum eorum unquam servaverim; adhuc etiam num ad owinne malum propensus sim; nihilominus tamen, sine ullo meo merito, ex mera Dei misericordia, mihi perfecta satisfactio, iustitia & sanctitas Christi donetur & imputetur, perinde ac si nullum unquam peccatum ipse admissem, nullumque mihi inhereret, imo vero, quasi eam obedientiam, quam pro me Christus prestat, ipse perfecte prestatissimum, modo solum hac beneficia credente corde amplectar.

Perfpicuum est, haminem ita comparatum, ut a catechumeno hoc depingitur, omnium scilicet Dei mandatorum violatorem perpetuum, eademque porro violare pronum promisumque, qui nihilominus aque iustus haberi contendat atque Jesus Christus, non posse non esse hominem profigato perditum, iniquitatique plane venditum, in quo vetus Adamus ita imperium habeat, ut nullus adhuc vera fidei in ipso appareat radius, verbo, non esse nisi mancipium corruptionis. Interim tamen non libertas ipsi tantum promittitur, sed & credere jubetur verbisque profiteri, quod existibilis illa animi constitutio, in qua totus, quantus quantus est, vivit adhuc vigetque, non obstat, quo minus re ipsa liber sit & iustificatus, modo tantum ut cor ejus impurum & improbum secura persuasione credat, sibi imputata esse omnia, qua Jesus Christus prestat. Nonne ea horribilis quedam est Justificationis idea, homines non servare, sed perdere & eternum damnare apta nata? Quanto satius foret talia, que venenum revera sunt mortiferum, ejicere e libris iis, quos atati tenera itemque plebi verans dos proponunt, in quibus vix unus ex millibus erit, qui in animum revocet glossas illas & interpretationes coattas, quibus verba ista torquent, ut alia, quam que sponte significant & lectoribus inculcant, dicere videantur? Ergone existibilis ea beatitudine, quam in anima ingenerant & enutriunt verba has, minus detrimenti afferre

DISSERTATIO UNDECIMA:

7

*afferre censabitur, quam si vel mutarentur, vel expungentur
voces quadam e libro, quem majorum nostrorum una autoritas
nobis sacrum & intactum prescripsit, licet ipsos falli posuisse, &
multis in rebus tenebris suis involutos fuisse, negari non possit.
Quae vero haec est idolatria, adeo importune animos, occupans,
ut formula aliqua hominum scripta, qui purificati nondum erant,
neque a Spiritu & illuminati, tantum non adorentur! Utinam tan-
dem tam infelix jugum excuterent mortales, nihilque nisi lumen
veritatis unius amplecterentur!*

Disquisitio hujus loci.

1. Quandoquidem locus iste Catecheses Palatinæ tanta offen-
sioni fuit Poireto, optarem equidem, ut uno atque altero verbo isti
jam in antecessum obviā ivisset ejus auctor. Interea tamen cum in il-
lo recte intellecto nihil deprehendam, quod veritati non sit con-
sentaneum, non dubito istum meum facere, & primum evangelicum e-
jus sensum demonstrare, hunc vero deinde a Poireti vellicatione vin-
dicare.

2. Cum ipsi offensio præcipue nata sit e descriptione hominis
justificandi, videamus, quid haec vitii habeat. Hic est homo *puni-
tens*, quemadmodum liquet e *contextu* & e re ipsa. *Punitens*
vero hic est status, ut ratione *præteriti temporis* in se deprehendat
conscientiam ipsum *accusans*, cum de peccatis admisisse, tum
de bonis operibus intermissis; ratione *præsens* ex una par-
te quidem adhuc *propensionem* residuum ad omne malum, ex
altera autem non minus etiam *veram fidem* habeat in Christum,
atque ita etiam gratia principium dominans, in regeneratione
collatum, cuius donatione peccati, & præcipue *anistias*, dominium sub-
latum & homo instructus sit novis viribus ad vivendum vitam, fide
in Christum & penitentia ac sui regeneratione dignam. In hac sub-
iecti justificandi descriptione, quod juste desiderari possit secundum
doctrinam apostolicæ hypotyposis, ut certissimus sum, habebit nemo.
Nec illi quidquam, quod erroneæ hypotheseos præjudicium non pro-
dat, poterit opponi. Quodsi quis existimat, eam verbis nondum sa-
tis emphaticis esse descriptam, is describat eam quanta velit emphasi,
eodem tamen sensu retento.

3. Jam



3. Jam vero hæc ipsa hominis justificandi descriptio adest in verbis catecheseos, utpote uti e re ipsa, sic etiam inde a me defumta. Nam hæc tria sunt momenta, ad que in ea redeunt omnia: 1.) *Sensus contritionis*, in accusatione conscientiae de peccatis commissis, & de officiis Deo lecundum legem debitum intermissis, atque ita de gravi reatu inde contracto: 2.) *Fides* in Christum, nostrum ιλαστόν, vera quidem & ita constituta, ut Christum non imaginari, sed vere possit amplecti; at luctans tamen adhuc cum peccati, cuius dominium ipsius accensio abstulit, reliquis, in propensione ad omne malum se exerentibus, atque ita quotidianum renovationis exercitium ad subinde maiorem sui erupgationem requirentibus: quod *tertium* in homine justificando hic notandum momentum est.

4. Hæc revera adeste in verbis catechesmi, ipsa ostendit ἀντολὴ. Nec verba illa: *adhuc etiamnum ad omne malum propensum sim*, nisi per violentam detorsionem ad Epicureum impie vita sensum abripi possunt. Aliud enim est, *adhuc esse propensum ad omne malum*, ita ut cupiditatem adhuc solicitantem sentias; aliud, isti *propensioni*; seu residua cupiditati, *servire*. Ecquis dubitaret, christianos, qui temporibus Pauli Romæ erant, vere fuisse justificatos, cum Paulus in epistola ad ipsos scripta fidem ipsorum tanto ornata encomio c. I. & eidem speciatim justificationem, ut jam factam tribuat c. V, i. Jam vero illi ipsi adhuc in eo erant statu, ut propensionem ad omne malum adhuc in suis peccati reliquis sentirent, ideoque a Paulo admonerentur, ne illi in cupiditatibus suis præberent obsequium Rom. VI. VII. VIII. Ut alia illius epistolæ capita & loca præteream. Manifestum itaque est, verba catecheseos vellicata, quod veritati repugnet, nequam habere.

5. Et reliqua etiam istius loci verba, quæ de *satisfactione ac imputatione justitiae Christi, ejusque valore coram judicio Dei*, a-gunt, omnino recte se habere, & Apostolicæ doctrinæ esse conformia, evincunt loca ad probationem ibidem allegata, uti supra in Dodecadæ priore aliquot Dissertationibus ex instituto demonstravi.

6. Hæc de genuino & vero loci sensu. Nunc is, datis vindicis, equaleo Poireti hermenevtico est eripendus. Ut si dicitis liquet, falsissimum est, hominem justificandum describi, tanquam tam, *qui porro etiam mandata Dei violare pronus promitusque sit*. Nam et si

DISSERTATIO UNDECIMA.

9

etsi pronitas propensioni positæ insit; ab hac tamen omnino abest consensus, seu promptitudo ejusmodi, quæ animi *propositum* continet in peccatis contra conscientiam perseverandi. Ubinam enim hujus ullum est vestigium in verbis catecheseos? Quod si vero promptitudinem pro synonymo pronitatis, seu propensionis, hic aliquis accipere vellet, & eam, in quantum justificando & justificato tribuitur, habere pro errore, prodiit falsæ hypotheseos prejudicio ipsi etiam Poireto contradiceret; utpote qui rō promtum (fortasse etiam rō pronum) esse explicat de *homine profligate perdito, iniquitatique plane vendito, in quo vetus Adamus imperium habeat. ut nullus adhuc vera fidei in ipso appareat radius, verbo qui non sit, nisi mancipium corruptionis.* In quem summe epicureum sensum innocentissimam phrasin: *etiamnum ad omne malum propensus sum, detorquere, anne viro docto pioque indignissimum sit, ipsi auctoris astinatores viderint?*

7. Neque illi sufficit detorsio simplex, etsi gravissima, in repetitis hisce ejus verbis jam allegata: sed pro mentis suæ intemperie (quæ in scriptorem *ynclos* mysticum cadere non debebat) vix insectationis sua finem invenit. Ita enim pergit, ut homini illi, qui suam ad malum omne propensionem adhuc residuum penitenti animo confitetur, tribuat *exitiablem animi constitutio-*
nem, in qua totus, quantus quantus sit, vivat adhuc vigeatque, cor retinens *impurum & improbum, securaque persuasione imputatio-*
nem credens.

8. Et pro hac ipsa animi impotentia insectationis seriem his continuat verbis: *Nonne ea horribilis quedam est Justificationis idea, homines non servare, sed perdere & aeternum damnare apta nata? Quanto satius foret, talia, que venenum revera sunt mortiferum (quod convicium anime in ipsam apostolicam doctrinam, ab Apostolis passim iisdem fere, quibus catechesis usâ est, verbis passim conceptam, cadat, alii viderint) ejicere e libris iis, quos ex-
attati tenera itemque plebi versandos propanunt. Ergone exitiabilis ea habitudo, quam in anima ingenerant & entrirunt verba hec u. r. l. Quæ vero hec est idolatria, adeo importune ani-
mos occupans Sc. Videat lector verba in ipso loco.*

B

9. Ver-

9. Verba catecheseos cum sensu suo doctrinæ apostolicæ hypothosi conformia esse, jam tum monui, lectorum ad datam hujus adferti demonstrationem remisso. Jam vero si ei consentanea sunt, & simul per se satis plana, id, quod sonant, quam simplicissime significantia; a vero & æquo abhorret hac Poireti censura, qua eorum interpretationem excipit: *Vix unus*, inquiens, *e milibus erit, qui in animum revocet glossas illas & interpretationes coactas, quibus verba ista torquent, ut alia, quam que sponte significant, & lectoribus inculcant, dicere videantur.* Quæ eum dicuntur in finem, ut creduli lectoris animus aduersus genuini sensus admisso- nem præmuniatur.

10. Ex his vero omnibus (quorū tamen sequentia omnino adhuc pertinent) sole meridiano clarius est, Poiretum ipsum genuinum doctrinæ hujus apostolicæ sensum & usum omnino damnare & explodere, etiæ alias, hunc ipsum impugnaturus, tantum abusum ejus Epicureum allegare soleat. Id quod eo minus est mirum, quo manifestius est, illum ipsum quoque sensum & usum genuinum pro mero errore & abusu Epicureo habere. Desinat itaque illi, qui Poireto hucusque plus tribuerunt, quam ipsi veritati, ingeniis cere ac conqueri, injuriam illi fieri, quando gravis & multiplicis erroris indigmate de satisfactione & justificatione arguitur. Audiamus nunc porro Auctorem nostrum.

Locus III. §. XXVIII. p. 527.

Ut vero pateat, veterem Adamum nullo jure istas fibi latbras in justificatione querere posse, utrius illam actu quodam so- yensi & declarativè, non vero infusa quadam gratia fieri dicamus; oportet, ut ad justificationis auctorem itemque ad ipsius actus qua- litatem animum attendamus. Quis vero declarationis hujus justificativa autor eru? Anne hominis cogitatio, aut cor: an vero ipsa litera sacrarum paginarum; an denique spiritus DEI viventis? Quodsi dicamus cor hominis, res non nisi incertis- sima erit & imposturis plena, præsertim, ubi cor illud adhuc pla- ne impurum erit, ad omne malum progensum & ad omne bonum ista inceptum, ut mandata DEI indesinenter transgrediarur. Ne- que

DISSERTATIO UNDECIA.

II

que etiam simplex litera Scriptura Sacra hic sufficiet: ea enim non nisi generales declarationes proponit, neque ea ulli sigillatim applicat. Oportet igitur, ut spiritus DEI hoc, quicquid est, faciat & trahat. Atqui vero fieri non potest, ut cor corruptum sordibusque adhuc plenum tranquillantes spiritus S. motus ejusque habitationem percipiat, aut operationes eius, que divinam anima pacem reddant, faciantque, ut sua cum DEO conciliacionis certa acquiescat, experientur. Evidenter facilius lucem tenerba producerent, quam Deus hanc declarationem in animabus ita affectis pronunciaret.

Disquisitio hujus loci.

1. Veterem Adamum in *Justificatione*, quando illa redi h. e. cum ostendo ordine regenerationis & seriae penitentiae vivaque fidei describitur, sub actu forensi & declaratio latebras sibi querere posse, contra doctrinam hanc apostolicam vel per ignorantiam, vel per malitiam, vel per utriusque mixturam adseritur.

2. Trimembre istud Poiroti argumentum nullius plane est ponderis, cum manifestam falsissimi principii, seu suppositi, repetitionem contineat, scilicet hominem justificandum ex hypothesi Evangelicorum esse adhuc plane impurum, & ita ad omne malum primum ineptumque, ut mandata Dei indefiniter transgrediatur. Atque ita non ferit thesin haec argumentatio, sed acerem; et si Autor sibi videatur rem acu tetigisse, nodosque non soluisse solum, sed dirupisse etiam.

LOCUS IV. §. XXXX. p. 528.

Notandum est preterea (ut ad actus qualitatem transseamus) duas dari declarationes justificativas, veram aliam, aliam falsam. Distinctionis eius autor est Salomon, qui dicit, falsam esse DEO abominabilem: Quisquis justificat impium, justum vero condemnat, DEO est abominabilis (Prov. 17. v. 15.) Justificare impium est declarare, impium esse justum. Quae declaratio falsa est, & actus forensis ex secrat-

B 2

secra-



scrabilis ac mendax. Qualem vero actum forensem iustificatione volumus? Falsumne, an verum? Volumusne declarationem talem, quæ dicat, cor adhuc impurum & impium justum esse nihilominus atque purum? Hec profecto declaratio judicaria, hic actus forensis non nisi a Satana in foro conscientiae occæcata fieri potest. DEUM enim autorem habere nequit, cuius actus forenses, quotquot ipso auctore sunt, ipsissime veritati ac realitati inimuntur, cuiusque declaraciones non posunt non esse verissimæ: ita ut quando ille in iustificatione declarat, animam esse puram & justam, neque quicquam in ea superesse, quod condemnari queat, res in ipso anime fundo & constitutione aliter haberri nequeat. Si enim id in ipsa jam antea non inveniretur, nunquam eam Deus veritatis justam declararet, sed impuram potius sordibusque infestam & ineptissimam adhuc, quæ vitam æternam solidamque & divinam pacem possideat. Illone eum, qui re ipsa injustus est & impius, justum declarare volet, aut poterit, qui (Ef. V. 20.) execratur eos, qui bonum vocant malum, malum vero bonum; tenebras lucem, lucem vero tenebras; dulce amarum, amarum autem dulce, quique (Exod. 34. v. 7.) nocentem nequicquam censet innocentem? *Quis est, quem non pudeat tam solidi & tam inepti commenti, si quidem tantillum sensus communis in eo superfit.*

Disquisitio hujus loci.

1. *Justificare impium*, extra statum penitentiaæ ac fidei ita constitutum, ut nec iustitiam habeat propriam, nec imputabilem, quam per fidem faciat suam, est *actus forensis exscrabilis ac mendax*. Jam propositioni Auctoris majori ita limitate deest minor, seu applicatio ad iustificationem, qualem ecclesia evangelica ad normam doctrinae apostolicam statuit. Auctor vero noster in sophistica sua sibi adeo placet, ut existimet, se meritos agere trium phos

phos. Atque ita mera est *ἀσπουαχία* in sarcasmis & querelis istis acerbis, quando ita pergit: *Hæc profecto declaratio judicaria, hic aëtus forensis non nisi a satana in foro conscientia occæcata fieri potest!*

2. Locum Jesaïe c. V. ut a finistræ applicationis abusu hic vindicem, eo minus judico esse necessarium, quo manifestior is est. Utinam vero Auctor hujus sui effati iniquitatem agnoscisset, quod hoc exprimit epiphonemate: *Quis est, quem non pudeat tam stolidi & tam inepti commenti, siquidem tantillum sensus communis in eo supersit?* Certe pseudomystica est theologia, quæ ejusmodi se characteribus facit conspicuum. Quod qui e Poireti admiratoribus non agnoscunt, disputent cum Paulo, anne ipsi pudeat tam stolidi ac tam inepti commenti, ut scriperit, *Deum Filium suum, qui ipsa est justitia, eum in finem pro nobis peccatum fecisse, ut nos, qui natura sumus corruptissimi, & post ipsum quoque conversionem corruptionis istius reliquias haud exiguae in nobis habemus, justitia Dei fieremus in ipso.* 2 Cor. V, 21. Videmus itaque pseudo-philosophiam cum pseudo-mystica in eo convenire, ut ipsum mysterii evangelici centrum pro stolidorum hominum nugamento habeat.

LOCUS V. §. XXX.

Evidem S. Paulus inquit (Rom. 4. v. 7.) Deum justificare improbum: verum conscientiam lectoris testor, num hoc idem sit, ac Deum declarare hominem improbum esse hominem justum? qui fieri potest, ut id sibi homines persuadent? DEVS justificat improbum, non eum quidem, qui improbitatibus suis vere adhuc involvitur; sed eum, qui in involutus erat, jam vero eas abjecit, & ab iis purificatus est: iste improbus declaratur justus. At vero, inquires, siquidem homo ante declarationem illam justus jam est, quæ ergo illius erit justificationis utilitas, quæ item necessitas? Id quidem

plus satis inculcavimus hactenus: age tamen, id repetamus, siquidem desideretur. Quando anima a divino lumine purificatur, fieri non potest, quin inquietudines eas & tristissimas angustias, quas paulo ante vidimus, misera sustineat. Ea vero, ubi purificationis sue terminum ac finem plene consecuta erit, ut ipse revera jam iusta reddit, proprii sui cordis testimonio tamen stare, seque justam credere non poterit, nisi DEUS deinceps nova quadam & speciali ratione in ea operetur; multo minus vero liberationem suam ac pacem, cum ineffabili illa animi tranquillitate, a divina hac certitudine de suo in gratiam Dei reditu oriunda, experietur, nisi Deus divina hac declaratione illam ipsi restituat. Anno vero id emblemamenti adeo modicum quid erit? & quid queso est, quod ultra desiderari possit?

Sed & illud dici poterit, verbum hoc, justificare in dicto loco Pauli, ubi inquit, Deus iustificat improbum, non tantum designare actum DEI declaratum; verum & operationes eas, per quas Deus improbum purificaverit, omnemque rationem, qua cum ipso in omnibus viis, per quas eum duxit, agere voluit, ut ex improbitate sua eum eriperet & iustitiae restitueret. Vidimus modo, vocem justificationis, aut justificandi, hoc sensu identidem adhiberi: atque ita dicere licebit, justificationis objectum, aut subiectum, esse hominem actu improbum quidem, sed in quo Deus operetur, ut actu eum & vere justum reddat. Virumque verum est. Cetera vero non nisi somnia sunt.

Disquisitio hujus loci.

- Ego lectoris conscientiam testor, anno Auctor noster hic sophistam agat, quando, non nesciens, locum Paulinum explicari (& recte quidem) de improbo penitenti & credente, qui agnito sua improbitatis causa damnabilis coram Dei foro ad imputabilem Christi

DISSERTATIO UNDECIMA.

15

Christi iustitiam confudit; quando, inquam, haec non ignorans, evangelicæ ecclesiæ hanc ejus loci interpretationem & applicatiōnē tribuit, quasi Deus improbum ~~ā~~ ^ā ~~et~~ ^{et} ~~avōntov~~ Christi caussa pro probo & iusto declararet?

2. Sequens Auctoris periodus: *Deus justificat improbum*
κ τ. λ. nihil habet, nisi falsi principii, quam sēpissime jam detecti,
 repetitionem, novæ discussionis haud indigam.

3. Itam maximi momenti objectionem, quænam justificatiōnis sit utilitas, quæ necessitas, si homo ante declarationem istam, in qua illa consistere dicitur, sit perfecte iustus iustitia inhārente? Auctor satis leviter solvit, ne hilum quidem ex objecta difficultate demere sciens; & duplīc tamē interrogatio subiuncta de facta solutione sibi ipsi plaudit. Certe enim supervacanea est manetque illa declaratio de istius rei possessione, quam se certissime possidere ex ipso possessionis uisu aliquis esse potest certissimus. Et haec certitudo, ex ipsius iustitiae infusione redundans apud justificatum, qualem Poiretus singit, futura esset eo major, quo perfectior ipsi tribuitur iustitia, per infusionem accepta, nimirum tanta, quæ justificationis terminum ac finem plexe consecuta fuerit. Qualem iustum qui communisicitur, & tamen statuit, talem *proprii sui cordis testimonio* de accepto ito infusæ iustitiae thesauro nondum stare, sed de eo adhuc dubitare, ita ut novo superaddenda declarationis, tanquam alicuius *justificationis*, charismate egeat, certe is et justo ejusmodi giganteo eadem opera simul pygmaum facit. Quis, non videt doletque labyrinthum, in quem mens humana, etiam pseudo-mystica, deserto verbo Dei incidere, aut quem sibi ipsi formare, potest?

4. Quæ Auctor sub allegati loci finem de verbo *justificare* tradit, aut potius repetit, nova discussione non egent. Quando autem istis meletematis hoc subiungit epiphomena: *cetera non nisi somnia sunt*; prodidit, suum intellectus malum, quod in grandi errore, immo errorum cumulo est, non fuisse solum, sed cum haud exiguo animi tumore conjunctum.

LOCUS

Locus VI. §. XXXI.

Post ea, quæ hacdenus tradidimus, regulas nonnullas his in materiis sepiissime inculcatas, quasque extra omnem controversiam ponunt, mihi procul dubio objicent, quales sunt, v.g. I. Quod justificatio sanctificationem præcedat, non vero vice versa. II. Quod bona opera non præcedant justificandum, sed sequantur justificatum; aliæque nonnullæ, quas recensere supervacuum foret, quoniam eodem redeunt.

Quisquis in animum revocare volet id, quod diximus, puta vocum harum justificationis & justificandi, earumque conjugatarum, significationem late patere, eisque varia designare posse; non difficulter sensum inveniet, ad quem dictæ regulæ applicari possint; & eo quidem sensu non erit, quod nobis negotium faceant: verum si quis justificationem sensu suo proprio & distinctissimo, hoc est, eo, quem postremo loco attulimus, intelligere velit, & profecto caveat, ne horum axiomaticum, ut volunt, sono obdormiscat.

Observatio.

Video hic Auctorem dicendo nihil dicere, & ad ea, quæ a se dicta sint, provocare, ea vero, quæ hic tangit, in sequentibus ex instituto resumere. Igitur hic dialysi supersedeo.

Locus VII. §. XXXII.

Et quidem ut ad rem ipsam descendamus, falsissimum est illud, quod justificatio sanctificationem præcedat. Manifesto satis arguento id docet justificationis natura, quam clare sat, ni fallor, conspicendam dedimus iis, qui videre eam voluerint. Quod si insuper urgeant, ut idem disertis Scripturæ verbis probatum demus, age & in sat faciamus.

Paulus

DISSERTATIO UNDECIMA.

17

*Paulus sanctificationem expresse collocat ante justificatiō-
nem, quando in Ep. ad Rom. quasi gradibus quibusdam factū,
ait (Rom. 8. v. 29. &c.) Quos DEUS præcognovit, eos præ-
destinavit, ut conformes fierent imagini Filii sui, ut ipse
primogenitus sit inter fratres multos; quos vero prædesti-
navit, eos & vocavit, & quos vocavit, eos & justificavit; &
quos justificavit, eos & glorificavit. Nullus est, qui dubi-
tet, quin Apostolus hic quosdam gradus constituat, ostendat-
que, quomodo DEVS gradatim atque ordine ea, que eternam
nostram salutem concernunt, efficiat: ista vero, qua ratione
disponat, videamus. Princípio dicit, quid Deus nonnullos
præcognoscat, b.e. quod nonnullos (eos videlicet, qui ipsi re-
spondēbunt) pro populo suo & pro filiis suis agnoscere atque
ita cum iis agere vitamque eternam ipsis largiri velit. Se-
cundo, quod præcognitos hos, sive eos, quos ita servare de-
crevit, prædestinaverit ad similitudinem Filii sui b.e. quod
Deus constituerit ac decreverit, ut (Rom. VI, 4, 5, 6, 7, 9. II.)
quemadmodum Christus mortuus est & surrexit in vita
nova, ubi non amplius moritur, & in quam nihil potesta-
tis morti superest; ita & illi una cum ipso plantā fiant per
conformatitatem & similitudinem imaginis mortis ejus; ita ut
vetus eorum homo cum Christo crucifigatur, corpus pec-
cati aboleatur, neque amplius serviant peccato; sed illi mor-
tui sint, atque ab eo absoluti sint & liberi; utque perinde ac
Christus & quidem in ipso, in nova vita resurgent. Et hec
quidem ipsa luce meridiana clarius purificationem denuntant,
sue sanctificationem, que DEI filius nos reddit & fratriis
Christi primogeniti: (Heb. 2. v. II.) Namque & is, qui sancti-
ficat (Christus Iesus, qui sibi conformes reddit) & ii, qui san-
tificantur; omnes ab uno Patre sunt & descendunt; Qua-
propter non erubescit (Christus) eos appellare fratres suos,*

C

atque



arque ita primogenitum se demonstrat inter multos fratres : ita idem Apostolus sua verba ubique ipse explicat. Tertio, quos ita praedestinavit voluitque, ut tales fierent, eos & vocat, & actu co introduceat, videlicet intus & foris ipsis suppeditat, quicquid necessarium est, ut imagini mortis & resurrectionis Christi conformes redduntur, sive ut purificantur & sanctificentur. Quarto, quos ita ad purificationem & sanctificationem actu deduxit & vocavit, conformes jam redditus imagini Fili sui crucifixi & suscitati, eos justificat, eos iustos, puros & a peccato immunes declarat : nam (Rom. 6. v. 7.) qui mortuus est, justificatus est a peccato & (Rem. 4. v. 25.) per resurrectionem Christi justificati sumus (Ephes. 1. 20.) h. e. per internam ejus efficaciam & (Phil. III. 9. 10. Rom. VI. 5.) per conformitatem ipsius. Tandem Apostolus ut gradationem suam finiat, subiungit, Deum eos, quos justificavit, glorificare, ubi docer, quod justificationem immediato nexu subsequatur salus & divina gloria posse, sive proxima dignitas & capacitas, quam justificatio requirit. Itaque in ea non erat sententia, quod post justificationem dum oportet nos sanctificari, sive quod sanctificatio justificationem sequoretur : sed prius, quod justificationem praecederet Sanctificatio, Glorificatio vero sequeretur : Perspicuum enim est, quod materias eas hoc ordine disponat. 1) Præcognitio eorum, quos Deus servari vult, 2) Prædestinatio & Decretum, quo imaginis Iesu Christi crucifixi & suscitati conformes eos reddere constituit. 3) Vocatio, actualis introducio, qua eos ad conformitatem hanc dicit, cumque in ipsis progenerat, que ipsa purificatio est, ipsaque sanctificatio. 4) Justificatio. 5) Gloria & Salus.

Quod si vetus Adamus, qui justus quidem esse amat, ita sumen, ut mortem sentire nolit, alio ordine, qui sibi & patato

DISSERTATIO UNDECIMA.

19

lato suo placeat, disponere eas malis; nihil vetat, quo minus, cum eterne tamen mortis periculo, illud tentare queat. Videbit aliquando, quenam methodus valeat, an ea, quam Deus voluit, an quam ipse sibi commentus est; videbit, inquam, quam graviter ipsi luendum erit, quod tam stolidi volunt, ut currus, (quod vulgo ajunt) bovem traheret.

Disquisitio hujus loci.

1. Quando *justificatio sanctificationem precedere* dicitur, *sanctificationis* nomine non intelligitur regeneration, seu conversio, quae *justificatione* prior est, eti non tempore, tamen natura: sed *renovatio*. Et hoc sensu *justificationem precedere sanctificationem*, verissimum est, uti e Dissertat. IV. posterioris Dodecadis liquet.

2. Falso est, Paulum *sanctificationem*, nimirum, in quantum est *renovationis synonimum*, expresse ante *justificationem* collocare Rom. VIII, 19 sequ. Nam sub nomine *vocationis* intelligit, quod notioni hujus vocis cum emphasi accepto consentaneum est, nimirum oblationem gratiae convertentis: qua quando recipitur, in homine accenditur fides, fide augem accensa sit *justificatio*, subsequente *renovatione*. Atque ita *vocationis* verbum hic amplius tendi nequit, quam usque ad proximum suum *obsequii* in admissa conversione effectum. Sic Romani erant vocati cum effectu hujus obsequii c. I, v. 7. & ideo *justificati*, c. V, 1. & deinceps magis magisque renovandi, c. XII, 1, 2, quem in finem pars epistole principia directa erat.

3. Quæ de electione Auctor hic minus recte tradit, ut considerem, non est hujus instituti & argumenti.

4. Nec reliquorum scripture locorum vindiciae hic videntur esse necessariae, nisi illius Rom. IV, 25. per resurrectionem Christi *justificati sumus* (uti Auctor noster illum exprimit & sic declarat) *hoc est per internam ejus efficaciam* Eph. I, 20. & *per conformitatem* illius Phil. 3, 9, 10. Rom. 6, 5. Non dicimus Rom IV, 25 per resurrectionem Christi *justificari*, sed Christus dicitur *resurrectus die* dicoi.

C 2



δικαιώσων ώραν, propter justificationem nostri, h. e. ut liquidissime constaret, Christum (quod proxime precedit) qui ita mortuus erat propter peccata nostra, ut ista mors esset ιλατιών & credentibus imputabilis, secundum c. III, 25, resuscitatum esse propter justificationem nostri, nimurum resurrectione, qua de mortis valore testata est, confirmandam. Quod si enim Christus non fuisse resuscitatus, mortem ejus, tanquam ιλατιών, nemo ad sui justificationem posset applicare. Vnde dimisso declaratum est, acceptam esse in iudicio divino satisfactionem, eamque, quia vicaria erat, credentibus omnibus ad justificationem esse imputabilem. Hunc hujus loci sensum esse genuinum, docet res ipsa, in textu & contextu ac locis parallelis considerata. Conf. Dodec. prioris Dissertt. V --- VIII, & poster. Dissert. V. Reliqua allegati loci verba nulla egent discussione.

Locus VIII. p. 531.

Multa sunt alia Scripturae loca, quæ eandem evincunt veritatem: v. g. quando Apostolus alibi eandem, quam vidimus, gradationem proponit, dum ad Corinthios scribit 1 Cor. VI, II. Lavati estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri.

Alibi [Tit. III, 6, 7.] idem ait, quod lavacrum regenerationis & renovatio Spiritus S. effusi super nos, ut justificati per gratiam ipsius heredes vita eterna sumus: Viden' ordinem? 1. lavari: 2. justificari 3. & deinceps servari.

Petrus ponit [1 Petr. II, 24.] quod peccato mortui esse debeamus, antequam justitiae vivamus, aut ad flatum justificationis perveniamus.

Figuræ omnes legis Mosaicæ docent, quod, antequam quis justificari, aut purus mundusque declarari, queat, oporteat, ut revera laveretur, purificetur & sanctificetur.

Apo-

DISSERTATIO UNDECIMA.

21

Apostolus in Cap. IX. & X. Epist. ad Hebr. non semel, idque nervosissime ostendit, quod priusquam Deus peccata oblitiscatur, aut memoriam eorum revocare nolit, antequam accusationem a conscientia institutam dissipet, b. e. antequam justificet, conscientia purificari debeat & sanctificari in sanguine Christi, in virtute divina Spiritus ejus, qui Spiritus est permissionis & purificationis.

Addo tamen, ne verbis captandis locus esse possit, quod si per sanctificationem intelligas sanctitatis habitum, aut sanctitatem habitualem, confirmationem sc. & incrementum, quo omnium sanctorum virtutum habitus augeantur; quod, inquam, hoc sensu (quo subinde in Scripturis [Rom. VI, 22.] adhibetur) justificationem sequatur sanctificatio. Quodsi vero per sanctificationem intelligas purificationem actualem ad plenae & vere puritatis terminum ultimum proovedam, (qui sensus usitator est) sanctificatio justificationem necessario praecedit: neque est cur contrarium tueamur nisi ut nobis ipsis blandiamur, & veterem hominem, qui in impura sua vita pergere vult, & nihilominus absolvi optat & justificari, continuo loquemus, cum tamen is deum (Rom. VI, 7.) qui mortuus est, justificetur & a peccatis suis absolvatur, ut Paulus ait, omnem hanc controversiam hoc uno verbo dirimens, dum mortem veteris hominis procedere debere inquit, antequam quis a peccato purus declarari & justificari possit.

Disquisitio hujus loci.

I. Ad loci 1 Cor. VI, 11. vindicias sequentia notari possunt. Non dum evicit Auctor, verbis: *abluti estis, sanctificati estis, non idem significari, quod tertio illo: justificati estis?* Ego certe supra Dodec. I. Dissertat. V. probavi, non solum lavandi, seu abluendi, sed etiam *sanctificandi* verbum ex usu LXX. interpretum, qui Hebreworum ΤΩΝ expiare etiam per τὸ ἔργα in sermone de rebus

C 3

Leviti-

Leviticis reddiderunt, in novi fœderis libris significationem purificationis forensem habere. Nec obstat, hac ratione Paulo tribuendam esse ταυτολογίαν, qua, qua uno verbo dicere potuerit, tribus expresserit. Nam alia est ταυτολογία inanis & inepta, alia biblica, seu exegética & emphatica, quam rei dignitas & scribentis affectus subministrarunt. Quales loquendi modos qui in sacris litteris non oblervavit, in illis plane hospes est. Imperitis servire possunt, qua in *Commentatione de Vita & epistolis Pauli de pecuniali* hoc sermonis Paulini charactere tradidi. Et cum expiationis & justificationis beneficium, renovationis beneficio non excluso, sed per se inde redundante, centrum esset totius doctrinæ evangelicæ, mentis & vite sanctimoniam in applicationis ordine requirens; quid mirum est, Paulum de illo ipso emphaseos causa tria verba adhibuisse? Fac, verbum *sanctificandi* in hoc loco notare negotium *renovationis*: quid tum? num ex ordine verborum semper argumentandum est pro ordine rerum? certe hoc nemo, nisi hospes in hermeneuticis, adfirmaverit. Hac enim ratione dicendum est, foundationem in Christianismo plenior ejus instaurationi, & incremento ac complemento esse posteriorem, quia Petrus epist. i, c. V. v. 10, eam itis postponat.

2. Ad locum Tit. III, 5, 6, 7 quod attinet, is Auctoris hypothesi omnino contrarius est. Nam cum scopus Pauli in illo esset, evangelicam Dei gratiam Tito ac ecclesiis Cretensis commendare, omnia ac singula istius textus verba directa sunt ad justificacionis gratiam in regenerationis ordine conimendandam. Unde remoto operum nostrorum merito, respectu justificationis adserit, quod secundum misericordiam suam nos salvaveris (secundum illud Angeli: *salvabit populum suum a peccatis ipsius Matth. I, 21.*) & quidem in ordine *regenerationis*, & per hanc simul inchoatæ *renovationis*. v. 4. In quo regenerationis & inchoatæ renovationis negotio, ut, quanta cum efficacia officium suum ad Christi glorificationem exferret Spiritus Sanctus, intelligerentis, addidit v. 5. quam largiter ille in fidèles fuerit effusus. Et quia verbo οὐατε̄ salvavisse, præcipue ad collatum justificationis beneficium respexerat, v. 6.

DISSERTATIO UNDECIMA.

23

v. 6. addit, quantum iustificatio ista bonum secundum ferat, nempo
donum *vita eterna*: ut *iustificati* (pro *salvati*, adhibito verbo
synonymo) *eius gratia secundum spem heredes essemus vita e-
terna*. In hac nativa hujus textus expositione nemo prudens, ut
certo confido, quod desideret, habebit. Utinam ex ejusmodi lo-
cis Poireti estimatores beneficium justificationis forensis digne aesti-
mare discenter!

3. Nec quidquam praesidii Auctor habet in verbis Petri epist.
1. c. II, 25: *ut peccatis mortui iustitia vivamus*. Nam 1.) unde
probabitur, non ipsa hac phrasē *et vos vestredag tuis exaudiatis, mo-
riti peccatis, der Sünde sterben*, sive der Sünde los werden / non
ipsum hoc iustificationis beneficium notari? Certe verba proxime
antecedentia, de *peccatis nostris in crucem sublatis*, agunt de sa-
tisfactione, uti e Dissertat. V. & tribus sequentibus Dodec. prioris
liquet. Jam vero cum satisfactione justificationis fundamentum ac
causa sit, quid magis esse potest nativum, quam subiuncta ista phra-
si justificationem notari? Idem confirmat locus parallelus Pauli 2.
Cor. V, 15: *judicamus hoc, quod si unus pro omnibus mortuus es,
omnes mortui sunt*. b) Si Petrus hic vel maxime intelligeret mortis
Christi applicationem eam, quæ ad sanctificationem pertinet; unde
probabitur, mortificationem istam actum & habitum iustitiae vi-
vendi etiam ratione temporis praecedere? Hæc enim per naturam
suum ita sunt *evoluta*, ut nullo temporis momento separari pos-
sint; quemadmodum novi hominis *evolutio* cum veteris *inductio*tes
certissime est conjuncta, et si Paulus hanc priori, istam posteriori, lo-
co ponat Eph. IV, 22. seqq. Col. III, 8. seqq. c) Quando autem Au-
tor verbis istis: *quod peccato mortui esse debeamus, antequam
iustitia vivamus*, subiungit hæc: *aut ad statum iustificationis
perveniamus*, sūm repetit, non probat, commentum de justifica-
tione, sanctificatione, eique consummatae, postponenda.

4. In figurarum Mosaicarum allegatione & applicatione auctor
repetit præjudicium suum, supra Dodecad. prioris Dissert. VI. Sect.
II. discussum. Et ex eadem tractatione, cum Dissert. VII. & VIII.
collata, manifestum etiam est, quam corrupto sensu Auctor hic ad
caput nonum & decimum epistola ad Hebreos provocet,

§. In

5. In ultima transcripti loci parte Auctor sibi ipsi nequaquam constat. Nam primum sanctificationem, de sanctitatis habitu & incremento acceptam, justificationi *postponit*: deinde vero sanctificationem, eamq; ad plenæ puritatis terminum ultimum proiectam, justificationi *primitit*. Quæ duo, nimirum sanctificationem inchoatam auctamque sequi justificationem, completam vero eam præcedere, sibi maxime contraria, quomodo inter se conciliari possint, Poireti admiratores viderint. Loci Rom. VI, 7. vindicias vide jam supra datas.

6. Auctor §. XXXIII, p. 532. seqq. prolixo sermone, cuius transcriptione superlædeo, agit de axiome Augustini: *Bona opera non procedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum*, ubi a veritate aliena sunt, qua sequuntur.

a) Prater *opera legis* externa & mere naturalia, opera, quæ ex principio gratia huncit, in bona opera, & opera seu fructus Spiritus Sancti, sine ulla ratione & ulla Scripturæ sacræ auctoritate distinguit auctor. Huic enim *opera bona* secundum principium gratia talia, & opera, seu fructus, Spiritus Sancti eadem sunt: quia Spiritus Sanctus infusa Dei gratia ac datis ad operandum viribus eorum auctor est in homine, ex eadem gratia agent.

b) Idem contendit, *bona opera*, proprie sic dicta *iustificationem procedere*, & hoc sine exitiali errore negari non posse.

c) Opera Spiritus statuit esse ea, quæ homo *jam plene purificatus* per Spiritum Sanctum, aut potius Spiritus S. per ipsum, efficiat: & hæc dicit *denuo iustificatum sequi*.

7. Hæc dum commentus est Auctor, præter rationem ipsam posthabitam, Scripturam Sacram, præcipue epistolas apostolicas, ad quas tamen in ipsa *reorwicā* sua provocat, ita seposuit, ac si ipsi scripte haud essent. Alias enim non potuisse non ex iis intelligere, *bona opera* & *fructus Spiritus* esse eadem & *iustificationem sequi*, & quidem apud eos, quibus omnino adhuc cum devicti peccati reliquis haud exiguis collectandum sit. Quæ §. XXXIV. occurunt,

currunt, tanquam repetitam præjudiciorum syllogen, lubens prætereo. Pergit nunc Auctor ad ULTIMAM, seu QVARTAM, JUSTIFICATIONIS SPECIEM, de ea hæc, quæ sequuntur, comminiscens.

Locus IX. §. XXXV. & XXXVI. p. 534. seqq.

Alia adhuc datur justificatio, sive potius altior quidam Justificationis gradus, cuius adhuc non meminimus, iis, quos diximus, posterior & sublimior. Illi, ad quos ea pertinet, in-justi non sunt, neque diabolo aditus ad ipsos datur, quippe perfecte puros & justos; in quietantur nihilominus ac quomodocunque accusantur, non a Deo quidem, multo minus a diabolo, sed a conscientia sua, utut purissima: & etiam si felicitati eorum nihil quicquam decedat, non habent tamen, in quo conquiescant, nisi accusationi huic silentium imponatur. Verum age paradoxi hujus explicationem videamus.

Sancti amore DEI divinæque justitiae pleni ubi infinitis ejus bonis undique circumcinctor se vident, justitiam usque adeo amant, ut nihil aquæ desiderent, quam ut aliqua proportio esse possit inter agendi rationem, qua Deus erga ipsos usus est, eamque, qua ipsi erga Deum. Conformatitate ista nihil illis videtur justius: iidem tamen in se inventiunt dona sempiterna, eaque infinita & incomprehensibilia a Deo sibi concessa, dum interim in se ipsis nihil a se factum esse vident, quod ipsis respondeat, aut in rationem venire queat. Non enim nisi festucas quasdam & minutias, que ab ipsis procedunt, in se conspicunt, quæ tantis intervallis a divinorum præmiorum magnitudine discernuntur, ut sine stupore id cogitare non possint. Atque hoc est, quod anxios eos habet, quod nempe beneficiis Dei se indignos esse videant, &

nihilominus ea non possint non accepiare. Hinc pudore conficiuntur: hinc indignitatem suam, suum etiam animum ut ingratum incasant, qui nihil fecerint, nihilque facere possint, quod cum iis, quae Deus fecit, concurrere queat: hinc cum nonnullo auctore mystico (is est Malaval. in Carminibus sacris Gallicè editis. Poesies sacrées) exclamat;

Heu! nihil, infelix, habeo nil solvere possum!

Triste nihil nomen me jubet esse malum.

Tu semper nova dona, Deus, quem torus anhelo,

Das mihi: quid reseram? Vx mihi! Triste nihil.

Sic justitiae amore in hac verba erumpunt, Domine, discede a nobis: præsentim ubi considerant, quod non tantum nullum ex se dignitatem habeant; sed sœpissime etiam in Deum peccaverint, & hanc culpam tamen nunquam, uti decebat, reparaverint, neque millesimam partem illorum perpepsi sint, quæ promeriti fuerant ingrati animi protervia, qua Deum, a quo non nisi infinitis beneficiis obruuntur, tam turpiter offendunt (Ezech. 16. v.62, 63.) Ego, (inquit Deus, ubi simile quicquam designar) Ego scedus meum persecutiam tecum. (Hæc promissio est Justificationis atque adoptionis) & scies, quod Ego Dominus sim; ita ut ubi memineris [isa & quæ tua sunt] rubore suffundaris, neque os tuum aperi re audias, tantus te pudor invadit, ubi tibi conciliatus fueris post eam justificationem. Et profecto fieri non potest, quin cor generosum, a privato studio alienum, justum & justitiae amore flagrans, maxime torqueat tam incredibilis disparitas, quam inter ea, que a Deo sibi præstata & a se Deo redditâ sunt, intercedere vider.

Disquisitio hujus loci.

1. Cum præcedentes tres justificationis species plane sint commentitix, inde facile potest colligi, quo loco habenda sit quarta hæc,

DISSERTATIO UNDECIMA.

27

hæc. Et cum tertia jam supponeret perfectam justitiam ac sanctitatem, peccati reliquis radicibus exstirpatis homini justificando inherentem, & quarta hæc adhuc dicatur esse *sublimior*; quis non videt, commentis tribus nunc addi quartum, reliquis extantius?

2. Ipse Auctor fatetur, homines secundum hanc speciem *non esse injustos, sed adeo perfecte puros justosque, ut diabolo nullus amplius aditus ad ipsos detur*, & ut nec a Deo ipso, multo minus a diabolo, accusatentur. His tamen ipsos quando fingit a conscientia sua, ut *ut purissima*, adhuc accusari, ita ut nova et que sublimiori justificatione egeant; qualis animi sui suæque theologiae characterem exprimat, alii viderint.

3. Cum Auctor procul dubio sc̄le ne in tertiam quidem justificatorum classem potuerit referre, nimis peccati sibi adhuc inherentis sensu a tanta præsumptione retractus, mirum est, qua, aut ejus hominis, experientia ductus tam confidenter de quarti ordinis justificatis potuerit loqui. Et quamvis non *experientia* magis, quam *scripturae auctoritate omni plane & simpliciter in fictionibus suis destituatur*, ad utramque tamen provocat, sed allegatis Scriptoris mystici & aliquot Scripturae sacræ locis, quæ, præcipue posteriora, nihil minus, quam quod Auctor intendit, perhibeat. Quod ut demonstrem, in tanta veritatis luce & manifesta locorum detorsione, arbitror esse supervacuum. Videamus nunc quomodo ficta quarti generis accusationi ficta respondeat justificatio.

Locus XI. §. XXXVII. seqv.

Verum enim vero Jesus Christus suo ipsis auxilio succurrit. Ille non negat, quod *justissime de se ipsis sentiant, & non sine causa pudore ac confusione conturbentur*, ac dum ad se ipsis respiciunt, inquietentur. Verum eosdem docet, siquidem ipse in iis sit, & intime ab iis possideatur, hinc eos possidere & omnia, quæ in ipso sunt, & omnia, quæ meruit ac præstitit, quæ quidem a Christo divelli nequicquam possunt.

D 2

Adeo-

Adeoque in quibus Jesus Christus est, in iis omnia revera esse, que ab illo separari non possunt, merita sc. vite, perpetuissimis & moris ipsis; idque eo magis, quoniam hinc Christus pro se non indigebat; sed omnia pro iis fecit, qui ipsum inse receptorum erant, ut bi bona Christi singula, veluti sua propria, considerent, atque ita tanquam sua Deo offerant. Et hoc deum eos solatur, iisque satifacit. Hoc angustias eorum ac dolores, quibus implicabantur, dissipat. Vident enim atque consentiunt, Justitiam illam Dei eamque proportionem, qua respondere sibi debeant merita & premium, item ea, que Deus homini, & homo Deo praestitit, in sece implere ac inveniri per merita & satisfactionem Christi, qui ipsorum jam est, qui in eis vivit, quique eorum factus, sui eos suorumque bonorum heredes fecit. Et pro se Christus meruit satisque fecit, ut inter sempiternum premium & sanguinorum meritum, quod meritum est Christi, aqua quedam proportio intercederet. Itaque vident, quod Jesus Christus ipsis sit meritum, gloria, dignitas. Gaudent etiam, quod impotentia sua propriaque indignitas ac nihilum suum, (que antea eos torquebant) Iesu suo occasionem præsternant gloriam suam ac plenitudinem tam abunde demonstrandi. [imitatum ex Malavallii Carm. Gallicis.]

Dum tibi dona fero, tibi non mea, sed tua reddo,

Quæ quia non mea sunt, sed tua, pondus habent.

Quodsi nil dederis, nihil est, quod reddere possim;

Res angusta domi propria ferre vetat.

Hincque tuos ignes tibi reddo, Te tibi reddo,

O Deus, o animæ ptesque salusque meæ.

Te sine cuncta nihil, Tu suffici omnibus unus:

Hoc didicisse juvat: sic juvat esse nihil.

Non dolent amplius, quod non satifecerint, neque quantum debu-

debuerant atque meruerant, perpetū sunt; quandoquidem a-
moris, perpetuorum, infinitaque dignitatis Iesu Christi gloria
amplissima ita manifestatur. Neque dolent amplius, quod ex
se ipsis nihil quicquam mereantur, quodque infinitam di-
sparitatem inter ea, que a se, eaque, que a Deo procedunt,
intercedere videant; quoniam ea prelio infinito meriti Christi
in ipsis, premio item infinito, quo meritum hoc dignum est,
locum faciunt. Ecce aliam, eamque veram & sanctam Me-
riti & Satisfactionis Christi imputationem & applicatio-
nem, exemptionemque a pena purissimam plane planeque di-
vinam.

Disquisitio hujus loci.

1. Quandoquidem, uti paulo ante ostensum est, quarti ge-
neris *accusatio*, tensu Poiretiano intellecta, tota est confita;
ita non melioris nota est ei respondens *justificatio*. Quare dialyti
hic supersedere possum.

2. Ea vero, quæ & accusationi & sic dictæ justificationi vera
subsunt, absit ut improbem: sed ea, extra confitum Poireti circu-
lum intellecta, majore sui parte pertinent ad statum gloriae; utpote
cujus non minus, quam regni gratiae, proprium erit, ut justi san-
ctique sibi, suisque viribus ac meritis nihil, Deo autem omnia tri-
buant, ipsum sui demissione super omnia evenientes.

3. Quia autem Auctor hic & §. XXXIX. quam brevitas can-
sa prætereo, de Christi merito ac satisfactione denuo repetit, ge-
nuino sensu destitui, e Poiretianarum justificationum dialysis luc
usque continuata liquet, & maxime ex eo, quod sensum & appli-
cationem istarum vocum *forensem* negat ac pernegat. Videantur
Dodec. prioris saepius jam allegatae Dissert. V -- VIII. it. IX. & X.
ubi falsus iste sensus ex instituto in Oeconomia Auctoris detectus ac
destructus est. Quæ vero dictis in locis erroribus vera sunt insper-
ta, in primis ea, quæ ad Dei gloriam directa sunt, iis eti ab erran-
te profectis, suum relinquo pretium.

4. Paragraphus XXXIX. nihil habet, nisi hastenus ab Auctore

tragatorum, h. e. veræ justificationis sub allegati epicurei abusus specie impugnatæ, & falsæ propugnatæ, repetitionem, novæ dialyseos haud indigam. Est vero repetitio ista uti erroribus, sic etiam acerbæ infectionis affectu plena, denuo hoc novum sermonis membrum his inchoans verbis: *Verum enim vero quid hec commune habent cum imputatione, applicatione & exoneratione, quas B. bel tamen opere jactat?* & in ejus progressu imputationem, quam *Babelicam* vocaverat, etiam *diabolicam* appellat.

5. Ejusdem fere generis est paragraphus ultimus, totius tractationis conclusionem & epiphonema continens. Quæ hic de libertate, seu potius de licentia, epicurea, & ejus præconibus, pseudodidascalis, proposita occurunt, sive ipsius sanioris doctrinae præjudicio intellecta, adeo non improbo, ut ipse potius diversis in scriptis ejusmodi doctrinæ & vita scandalis justa cum parthesia iherim obviam, & præcipue istis ventris ministris, qui sub specioso libertatis, seu *adiaphorise*, nomine pro *peccatau* *licentia* declamitant, dixerim, quod res est.

6. Hac de capite VIII. L. V. Oeconomia. Capite IX. Auctor inverso plane ordine, qui ipsi tamen rectissimum videtur, a *justificatione* hactenus descripta, & *renovationem omnem*, etiam *consummatam* & oranibus numeris absolutam continent, pergit ad regenerationem: *Statum*, §. VIII. inquiens, *justificationis immediate* sub sequitur *Regeneratio*. Sed hujus erroris examen jam præmissi in Dissertatione IV. hujus Dodecadis, habita ratione ordinis, quem regeneratio, respectu naturæ, sibi ante *justificationem* vindicat. Quia vero quæ Auctor in nono hæc capite doctrinæ de regeneratione in paragraphis septem prioribus de *pace* *justificationum* præmit, in Dissertatione ista prætermis, eorum *ratio* una hic atque altera observatione paucis ostendenda est.

7. Describit pacem plene & perfectissime, quos statuit, *justificatorum*, h. e. *renovatorum*, seu *sanctorum*, ob omni peccati labore usque ad plenam *irreparabili* jam penitus exemptorum, eosque omnino ad hoc regnum gratia referit. Id quod uti ex antecedenti doctrina resultat, & hic supponitur, ita etiam expresse indicatur, quan-

DISSERTATIO UNDECIMA.

31

quando Auctor inter alia §. III. Principio, inquit, tenendum est, pacem hanc atque certitudinem non nisi eorum esse, qui vere sancti sunt, quique post purificationem perfecte absolutam justificati sunt per declarationem a Spiritu S. sibi factam, se iustos esse & puros. Verum enim vero quemadmodum hi sancti semper fuerunt & adhuc sunt utopici, concidit etiam pax insigni cum verborum apparatu ipsis tributa. Non entis enim nulla sunt affectiones.

8. Arcetit quidem Auctor hypothesi sue statumen aliquod e diversis Scriptura locis, quæ fidelibus pacem anima spiritualem adscribunt, uti sunt Rom. V, 1. Phil. IV, 7. Jo. XIV, 27. XVI, 20. Sed qui vel ipsa, ne dicam sacra, sed communis tantum hermeneviticæ rudimenta norunt, vel ipsis quasi manibus palpant paralogismura hunc exegeticum, quo pacem, quæ pro integro contextu christianis omnino adhuc in quotidiana inherantur & solicitantis peccati expurgatione versantibus, tribuitur, sanctis, quos fingit, consummatis adscribit. Et hoc tanta facit cum confidentia, ut §. VI, non dubitet scribere: *Doctrina hac fere ad verbum e loco Pauli Rom. V, 1. Justificari per fidem pacem habemus per Jesum Christum, Dominum nostrum, consequitur.* Eadem est magisque verba loci i Petr. I, 3, utpote quem, de regeneratione neophytorum agentem, itidem, re ipsa & universo epistola argumento reclamante, de perfectissimis, quos fingit, sanctis interpretatur. Et quemadmodum his ex una parte tribuit, quod non habent; sic iisdem ex altera demittit, quod, si re ipsa existent, non possent non habere, nimirum certam de futura sua salute pleroriam, ipsis hac ratione ad pauprem fluctuationem reducens, aut, facile reduci posse, supponens. Id quod eum in finem videtur esse commentus, ut, quid sanctis istis gratia regenerationis superaddat, pro noni capitilis, quod de regeneratione, nimirum justificatorum, inscribit, argumento haberet.

PRAESES RESPONDENTI

S. D. P.

Qui jam diutius ab ore meo pependisti, ornatis-
sime Schumanne, abunde, quod spero, perce-
pisti, quo apud me, nosque in ordine theolo-
gico singulos, loco ac pretio sit doctrinæ evangelicæ
integritas, & quanto pro imbecillitate mea studio
id agam, ut puritati doctrinæ vitæ innocentia re-
pondeat. Spero etiam, immo confido, te inter eos
esse futurum, qui Domino sunt ἐυχεντοι, & re ipsa
testantur, se e præceptorum suorum disciplina non
sine fructu discessisse. Quam spem meam ut im-
pleas, immo superes, te hac prosphonenſi publice hor-
tor. Implebis vero quam certissime, si sanioris do-
ctrinæ hypotyposin, in puritate conscientiæ conser-
vandam, tibi constanter habueris commendatam.
Vale. Hal. Saxon. die V. mensis Jun. M DCC-
XXII.

73 5225

ULB Halle
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318

319

320

321

322

323

324

325

326

327